



**Sodalitas sacerdotum
dioeceseos Labacensis
in
honorem S^{SI} Cordis Jesu
ad conservandum et promovendum
spiritum sacerdotalem.**

I. Finis »sodalitatis sacerdotum in honorem Ssi Cordis Jesu« is est, ut periculis occurratur, quibus sacerdotes saeculares in quotidiano suo cum omnis generis hominibus commercio non parum exponuntur: periculis scilicet, ne mundi spiritum paulatim sibi faciant proprium.

Cujus quidem periculi caput in quadam, ut ita dicam, solitudine spirituali situm est.

Dum enim homines laici in sacerdotibus sustentaculum sibi inveniunt, regulares in confratribus suis, sacerdotes saeculares in

omnibus fere sibi ipsis relinquuntur propterea que plus ceteris illud S. Scripturae in se experiri debent: „*Vae soli; quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se.*“ (*Eccle. 4, 10.*)

Cui difficultati periculisque inde enascen-
tibus facillime efficacissimeque occurri posse
videtur, si sacerdotes speciali ad hoc sodali-
tate inter se conjunguntur.

Et re quidem vera, si Spiritus S. dicit:
„*Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum*“, (*Eccli. 6, 14*), quantum munimen quantumque thesaurum
praeberi putamus intima conjunctione amico-
rum, qui corde uno et anima una in eundem
tendant praefixum sibi sublimem pulcherri-
mumque finem?

Quae omnia profecto suadent, ut sacer-
dotes quasi triplici: orationis scilicet, exempli
mutuaeque exhortationis vinculo inter se de-
vinciantur, quo melius Dei honorem, suamque
ipsorum integritatem, perfectionem et salutem
aeternam promovere et id assequi valeant, ut
in omnibus seipso praebeant exemplum bonorum operum, forma facti gregis ex animo.
(*Cf. Tit. 2, 7; et I. Petr. 5, 3.*)

Et haec quidem de fine sodalitatis.

II. Haec porro sacerdotum sodalitas sub patrocinio Ssi Cordis Jesu constituta est, *de cuius plenitudine nos omnes accepimus* (*Cf. Joan. 1, 16.*), atque in Sso hoc Corde quasi in centro suo residet indeque tota quanta regitur.

III. Sodalitatis protector est ipse dioeceseos episcopus; cui subest praeses, a sodalibus per vota secreta, directe ad episcopum missa, eligendus et ab episcopo ad triennium, vel certe non ultra quinquennium confirmandus.

Praesidi assistunt vice praesides, quorum numerus a sodalium numero necnon a locali regionum qualitate dependet, quibus praeficiendi erunt. Etiam hi simili modo elegandi et ab episcopo confirmandi sunt, idque pariter ad triennium, vel certe non ultra quinquennium. Sed etiam intra hoc tempus liberum erit episcopo, si ita illi visum fuerit in Domino, aliter disponere de praeside et vicepraesidibus.

IV. Ad assequendum sodalitatis finem, qui juxta superius dicta non alius est, nisi

ut vita vere sacerdotalis promoveatur, sodales has regulas observabunt, epistolis pastoralibus S. Ap. Pauli, necnon conciliorum, praesertim vero Tridentini, canonibus, et statutis dioecesanis respondentes; scilicet:

1. Ut quotidie mane ad minus per viginti minuta sacrae vacent meditationi.

Quodsi mane fuerint impediti, id alio per diem tempore facient, vel meditationi piam lectionem substituent, vel saltem frequentibus per diem piis jaculatoriis animum ad Deum levabunt.

2. Ut saltem per quadrantem se praeparent ad accessum ad altare, sacrum Missae sacrificium oblaturi, et etiam post recessum ab altari tantum temporis dent gratiarum actioni.

Utrumque porro, aedificationis fidelibus praestanda causa, non in sacristia, sed, si possibile, in ipsa ecclesia fiat.

Quodsi ex causa rationabili minus temporis in id insumpserint vel alias breviores in hoc fuerint, defectui frequentioribus per diem caritatis actibus supplere studebunt.

3. Ut breviarium opportuno tempore, digne, attente ac devote recitent, et, si tempus superest, saltem brevem etiam lectionem spiritualem instituant.

4. Ut quotidie, quantum circumstantiae permittunt, per aliquod tempus Ss. Sacramentum visitent, exceptis diebus, quibus pomeridiano vel vespertino tempore ex officio ecclesiam adire debebunt.

Quando ex rationabili causa, e. g. ob aëris intemperiem, ob longam ecclesiae distan-
tiam, ob amicorum adventum, ob defatiga-
tionem ex laboribus in cura animarum con-
tractam etc., haec Ssi visitatio fieri nequit,
ejus loco saltem brevem Ss. Sacramenti ado-
rationem, facie ad illud conversa institutam,
opportuno tempore substituent.

5. Ut cum suis domesticis quotidie ve-
spere rosarium domi recitent, nisi quando
in ecclesia in communi recitandum erat.

Qui sive multo labore, sive corporis in-
dispositione aliisque id genus rebus impeditus
est, saltem unam rosarii decadem, interpositis
respectivis mysteriis, recitat.

Qui vero rosarii in communi recitandi occasionem non habent, id praestent privatim.

6. Ut quotidie, sive conjunctim cum rosario, sive cum precibus vespertinis, conscientiae examen instituant.

7. Ut singulis mensibus saltem bis, si quavis hebdomade fieri nequit, ad minimum vero semel, peccata sua confiteantur.

8. Ut exercitia spiritualia, pio in secessu instituenda, ultra biennium sine vera justaque causa non differant, ad minimum vero tertio quoque anno faciant.

Iis vero annis, quibus exercitia spiritualia non peragunt, commodo tempore recollectinem privatam per triduum eo modo, quem circumstantiae permittent, instituant.

Pariter exeuntibus singulis mensibus speciale de iis fiat examen, percurrendo inter alia has regulas et inquirendo, quomodo iis satisfactum sit.

9. Ut in orationibus sui invicem meminerint, praesertim vero in s. missa ad »memento« tum vivorum tum defunctorum.

Praeterea quotidie pro sodalibus orabunt
1 Ave Maria cum V.: „*Regina, sine labe originali concepta, ora pro nobis.*“

Imprimis vero dioeceseos salus cordi ipsis erit. Hinc pro indigentiis et necessitatibus ejus quotidie dicent *1 Ave Maria* cum jaculatoria: „*Cor Jesu, flagrans amore nostri, inflamma cor nostrum amore Tui.*“ (Ind. 100 dier. quotidie semel).

10. Quum centrum et, ut ita dicam, spiritus rector totius sodalitatis ipsum Ss. Cor Jesu sit, hinc in spiritu frequenter in eo convenient indeque hauriant spiritum, quo ejus ministros informatos esse oportet, ut, cor unum cum Sso Corde Jesu, etiam inter se cor unum efficiantur et anima una.

Hinc etiam „*Apostolatui orationis*“ nomen dabunt et cultum Ssi Cordis Jesu pro viribus promovebunt.

11. Quum nihil sit, quod praeclaram sacerdotis dignitatem in seipsa tantopere dehonestare, et, crepta Dei gratia, etiam fiduciam fidelium penitus eripere et eorum quoque, qui foris sunt, contemptum excitare magis valeat, quam incontinentiae vitium,

hinc ad castitatem conservandam omne convertent studium, diligenter adhibendo necessaria et opportuna ad illam tuendam media.

Proinde observent, quae sequuntur:

a) Omnem familiarem cum alio sexu fugiant consuetudinem, nec solum a mali labo, sed imo etiam a sola jam ejus specie diligenter sibi caveant, ne, qui proni sunt ad omnem suspicionem homines, etiam de illis in honestum quidpiam suspicari aut inconsideratum forte quempiam loquendi et agendi modum in partem sinistram interpretari incipient.

b) Extraneas mulieres urbanitatis aut officii specie, aut praetextu etiam spiritualis instructionis, ne frequenter invisant; cum iisdem neque concinant, neque instrumentum musicum, e. g. animi recreandi gratia, pulsent, aliaque id similia devitent.

c) Feminas per vias ne comitentur, neve comites se illis et assecias in deambulacionibus et itineribus adjungant.

d) Cum mulieres consanguineas pro ob-eundis ministeriis domesticis habere non poterunt, extraneas quidem famulas habere

licet, ast, quod etiam de consanguineis valet, non juniores, procaces, vanitati deditas, malae famae feminas, in vitio carnis jam lapsas, vel quomodocunque suspectas.

Famulas, idque etiamsi consanguineae sunt, tanquam commensales ne adhibeant, neque diutius aut saepius cum solis loquantur vel in eorum cubiculis commorentur; iter porro cum iisdem, etsi sororibus, non instuant (praesertim in eodem curru), neque cum illis parochias vicinas invisant, aut in nundinis mercatorum tabernas perlustrent.

e) Feminarum confessiones domi ne unquam audiant, nec etiam pro doctrina christiana tradenda solus quis cum sola commo-
retur.

12. Tabernae, cauponae, aliaque his similia, sint iis quasi terra incognita, ne saeculi hujus voluptatibus ibi illaqueentur et spiritum clericalem sensim sine sensu amittant.

Ne morem gerant hac in re sodales exemplis confratrum minus laudandis, sed ipsifiant exemplar omnium, sanctissime obediendo iis, quae sancta ecclesia clericis non consilii tantum, sed veri praecepti ra-

tione injungere nunquam non intermisit. — In dubio a sodalitatis praeside consilium petant.

Sed non tantum a tabernis frequentandis abstineant, verum etiam a conviviis et commissationibus sumptuosis in propriis domibus parandis; »nec ad bibendum alios (e. g. laicos) incitent aut se mutuo ad aequales haustus provocent,« ut ait conc. Trid. Dedeceat profecto, viros de clero totum forte tempus pomeridianum, imo forte etiam multam in noctem, mensae assidere potuique indulgere.

Pari ratione ne sint frequentes et sine justa causa in domibus privatis.

Scandalosos autem homines eorumque societatem omnino vitent, quin tamen omittant, quae ex officio et caritate facienda sibi sunt, ut eos corrigant et ad meliorem frugem convertant.

Vix necessarium est addere, etiam theatra publica omnino esse vitanda.

13. Quoad habitum clericalem accurate servent, quae sive usu sive legibus in dioecesi vigentibus praecipiuntur, diligenter evitantes, sive in comis componendis, sive in

barba radenda, sive in vestibus adhibendis, quidquid vani et mundani quid praeseferat et magis risui exponere, quam aestimationem conciliare aptum sit.

Quam maxime exoptandum esset, ut semper, sive intra sive extra domum, veste talari uterentur, praeterquam ubi tempestatis viarumque incommoda aliter exigunt.

Decet etiam, ut saltem ii, qui in civitate residentiae episcopalis domicilium habent, non nisi veste talari induti episcopum adeant.

14. Bona sua temporalia quod attinet, haec sibi statuant:

a) Dispositiones de redditibus beneficialibus, sive inter vivos sive mortis causa, sint conformes ss. canonibus; proindeque, quae in congruam sustentationem non impenduntur, non inserviant ad usus profanos, aut ditandos consanguineos vel domesticos, sed in pias erogentur causas.

b) Quoad alia bona temporalia procul sint a sumptibus luxuriosis tum in vestitum in supellectili; sed quae victui supersunt, statui suo consentaneo, impendant potius ad promovendum cultum divinum, ad

opera caritatis exercenda, ad proprium in scientiis profectum augendum et similia.

c) Testamentum condere ne diutius differant, quo tutius canonicae et meritoriae de bonis propriis dispositioni provideant. Qua in re (sic ex conc. prov. Viennensi) »cum primis (quisque) caveat, ne ancillam haeredem scribat, a quo scandalum difficile abest.«

15. Alte in omnium mente resideat veritas, Christi exemplo et doctrina, atque universa Sanctorum scientia comprobata, obedientiam esse omnis virtutis et profectionis Christianae fundatum, meminerintque moniti S. Ap. Pauli: „*Obedite praepositis vestris et subjecete eis. Ipsi enim per vigilant, quasi rationem pro animabas vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis.*“ (*Hebr. 13, 17.*)

Hinc a censura actorum et decretorum a superioribus suis latorum abstineant, episcopi ordinationibus religiose obedient, neque ejus dispositionibus renuant sive in munib; subeundis aut relinquendis, sive in ea

vineae Dominicae parte suscipienda, ad quam eos vocare ipse decreverit.

Proinde sanctum etiam iis erat, omnibus valedicere foliis, quibus auctoritas ecclesiastica quomodocunque impetitur.

Etiam sodalitatis praesidem vel respectivum vicepraesidem libenter audiant in iis, quae harum regularum observantiam et sodalitatem respiciunt.

16. Quod attinet relationes inter parochos eorumque cooperatores, stricte observentur, quae sequuntur:

Parochus, cooperatorem habens, eum consideret tanquam virum sacerdotio Christi insignitum, ideoque cum bonitate, mansuetudine et benevolentia eum tractet. Nimiam erga eum dominationem haud exerceat, nec sit durus in eum, sed comis ac urbanus, et non modo a parochianis, sed etiam a domesticis suis omnem observantiam eidem prae stari enixe satagat jubeatque.

Consiliis suis cooperatorem suum adjuvare, et ad animarum regimen et parochiae administrandae rationem, necnon ad negotia gerenda sensim informare eum studeat.

Unde libenter modo de hac modo de illa re ad curam animarum, in sua praesertim parochia, spectante cum eo conferat, ad haec vel illa scripta officii parochialis conficienda eum invitet et necessarias oportunasque instructiones eidem tradat, ordinationes in folio dioecesano contentas vel alio modo latas eidem communicet, et sic porro.

Neque tamen tam alte de se sentiat, ut viceversa ne audire quidem velit quodcumque etiam cooperatoris sui consilium, sed quasi ex vestigio illud repellat; quod persaepe non tantum ob rem ipsam dolendum est, sed etiam propterea, quod tali modo omnis familiarior inter parochum et cooperatorem conversatio impeditur, et frigiditati, fortasse etiam mutuae aversioni, ne dicam, inimicitiae, via sternitur.

Caveat porro, ne in forum internum poenitentiae sese ingerat, ita ut e. g. velit cooperatori suo praecipere, cuius et quoties ad summum confessionem audire, vel cui et quoties s. communionem permittere debeat, et his similia.

Tandem parochus, si ita circumstantiae exigunt, officii correctionis fraternae coopera-

tori suo exhibenda ne obliscatur, paternaque eum moneat etiam de periculis illi imminentibus, quin ipse forte sciat. *In omnibus tamen seipsum praebeat exemplum bonorum operum, ut, qui ex adverso est, nihil habeat malum dicere de eo.* (Tit. 2, 7. 8.)

Superfluum est monere, ut quae cooperatori forte praestanda sunt: victus, lumen, ignis etc., eidem libenter exhibeantur, praesertim si quando indispositione vel morbo aliquo laborat, aut a providendis aegrotis vel visitanda schola longinqua lassus defatigatusque domum revertitur.

Cooperatores vero

a) promptos se exhibeant, ut alacriter parochi vices suppleant, quotiescunque ad hoc requisiti fuerint.

b) Caveant omnem murmurationem, inurbanitatem, mores incultos et oppositiones, a nimio sui amore provenientes; econtra modeste a parocho petant, quae sibi agenda sint, ejusque monitis et consiliis morem gerant.

c) In divinis officiis vel scholis nihil inscio vel invito parocho addant, demant vel immu-

tent, et quando eum errasse vel contra sanc-
tiones ecclesiasticas quid constituisse certam
conscientiam habent, hoc ingenue et rever-
renerter eidem exponant.

d) De statu aegrotorum, quos visitarunt,
parochum accuratissime certiores reddant.

e) Si contingere, ut quis cooperator
jure merito censeret, se plus aequo a parochio
gravari, propter bonum pacis modo provisorio
parochi mandatis obediatur, donec res aut de-
cano aut Ordinario fuerit proposita et decisa.

f) Ordinem domesticum a parochio con-
stitutum punctualiter observent; quando vero
id ob praestanda officia pastoralia similesque
occupationes (e. g. in operariorum conventibus)
impossibile fore praevident, de hoc parochum
moneant, vel, si id fieri non potuit, postea
de hoc edoceant.

g) Nunquam cooperator de parochi regi-
mine coram parochianis disserat, neve de-
fectus ejusdem revelet coram iis, quorum
nihil interest; quin potius dotes et virtutes
ejus commendet.

Simili modo se gerat quoad domesti-
corum defectus, nec eos unquam curosius,

e. g. ex aliis domesticis sciscitando, investiget et circumferat. Nemo enim non videt, quanto pere scurrilitas omnisque garrulitas dedebeat virum, eoque magis sacerdotem; ut taceam damna paci et tranquillitati domesticae vel domus famae non raro exinde illata.

17. Quum strenuum ordinatumque studium litterarum conditio sit sine qua non ad vitam perfecte sacerdotalem, sodales tempore, quod ab aliis officii sui occupationibus iis superest, conscientiose utantur, ut in rebus ad vocationem suam spectantibus magis magisque se excolant.

In specie vero S. Scripturae, Dogmaticae, Moralis, Pastoralis et Juris Canonici studio operam dent, semper attendentes etiam ad ea, quae folio dioecesano continentur. Commendatur porro singulis, ut aliquam ex scientiis theologicis, quae scil. prae caeteris illis placet, etiam singulari studio prosequantur.

Majori ingenio praediti etiam majores minoresve dissertationes scriptas confiant et sive in aliquo folio ecclesiastico sive in bona aliqua ephemeride publici juris faciant.

18. Imprimis vero singularem diligentiam in id convertant, ut juventutem scholasticam bene instruant ejusque et intellectum illuminent et cor inflamment.

Pariter omni cum diligentia suos parent sermones, praesertim vero catecheses publicas ad populum, semper respiciendo ad temporis indigentias et necessitates, nec gentem increpando tantum et objurgando, sed imprimis docendo, monendo, exhortando. Omnino vero evitent, ne unquam res personales et negotia privata in loco sacro pertractent.

19. Nec minori caritate tanquam misericordes Samaritani in s. poenitentiae tribunali fidelibus praesto sint, juvantes et dirigentes eos juxta sanae Moralis et Ascensos principia.

Ubi bene advertant, non satisfacere officio suo sacerdotem, qui fideles forte una alterave tantum vice per annum audire velit, quum non ejus sit, gratiae divinae, quae in fidelibus operatur eosque ad saepius accendendum ad S. Eucharistiam incitat, quasi fines et terminos praescribere; et quum ex

altera parte utique sacerdotis sit, non sinere, ut fideles ob ejus a confessionali absentiam forte per hebdomades et menses in peccato mortali decumbant, sicque gravissimis animae damnis maximoque aeternae salutis amittendae periculo exponantur.

Hinc semper faciles, promptos paratosque fidelibus in hac parte se exhibeant, et imprimis singulis diebus Dominicis et festis; quibus, etiam non vocati, fideles expectent potius, quam ut se expectari ab iis sinant, vel morositate et indignatione aliqua a confessionali frequentando eos omnino avertant.

Similem facilitatem promptitudinemque ostendant etiam, quoties ad aegrotos vocantur.

Singularem vero moribundis, etiam non vocati, exhibeant curam, eos non tantum providendo Ss. Sacramentis, sed etiam practerea, si possibile est, eos visitando et in hora mortis iis assistendo.

20. Hisce et alia caritatis opera adjicient. Agent enim, si circumstantiae permettent, ut pii bonaeque indolis pueri, quos bonos sacerdotes futuros esse sperare licet,

ad studia perveniant; quorum etiam studiorum tempore curam habebunt, ut semper in via innocentiae et virtutis incedant.

Pari modo liberis derelictis et omni animi cura destitutis providere satagent, bonam christianamque in piis familiis educationem iis procurando; uno verbo, ostendent tota sua agendi ratione, se vere christiana caritate duci in omnibus, secundum illa Apostoli: „*Caritas Christi urget nos.*“ (*II. Cor. 5, 14.*)

Toti proinde erunt in eo, ut boni pastoris officio plene satisfaciant, *omnibus omnia facti*, (*I. Cor. 9, 22.*) et ut ferveat in iis zelus domus Domini atque salutis animarum.

21. Desiderandum profecto, ut maiores conferentiae pastorales frequentius celebrari possent. Quod quum in pluribus dioeceseos nostrae partibus impossibile adhuc sit, sodales, qui viciniores sibi sunt, eo saepius ad minores hujusmodi conferentias conveniant.

Quae res tamen non casui relinquenda, sed certi dies semel pro semper constituendi, quibus saltem semel singulis mensibus sodales

illius vicinitatis quo plures in aliqua domo parochiali, ad hoc prae ceteris apta, conveniant.

Quarum conferentiarum, tum majorum tum minorum, finis hic est:

a) ut, quae sodales de occurrentibus variis rebus asceseos vel pastorationis, de litterariis, religiosis aliisque ejusdem generis quaestionibus, actu animos moventibus, sentiant, sibi communicent seseque invicem instruant.

Materiae vero, de quibus singulis in conferentiis tractetur, vel a viceprae side determinentur vel a sodalibus ipsis proponantur, quod tamen utrumque praecedente semper conferentia fiat, ut responsa pro sequenti bene praeparari possint.

b) ut sive de communibus sive de privatis rebus consilia conferantur.

c) ut sodales se invicem exhortentur et ad bona quaeque excitent; quem in finem non abs re erit, ut vicepraeses brevem habeat ad confratres exhortationem spiritualem, qua eos vel contra vitium aliquod praemunitat, vel ad quandam virtutem statui sacerdotali apprime conformem invitet, vel harum regularum observationem iis inculcat.

d) ut modesto et fraterno modo se invicem corrigant quoad ea, quae e.g. vel contra rubricas peccant, vel in sermonibus publicis minus recte dicunt etc.

e) ut facilius occasionem habeant, s. confessionem peragendi.

f) ut honeste animum recreent seseque in Domino exhilarent.

Quae tamen conferentiae tunc tantum perdurabunt, si, qui ad eas convenient, nullo modo animo praecoccupantur; scil. si timendum iis non est, ne ille, in cuius domo convenient, ex hoc gravetur. Quapropter qui sodalitati revera bene vult, ne aegre ferat, pro hospitalitate sodalibus exhibita aliquam ab iis praestari recompensationem, sed suae liberalitati justos ponat fines, ne res ipsa, conferentiae scilicet, detrimenti quid patiatur.

22. Sodales mutuam inter se fovant caritatem, iis virtutibus insignitam, quas per pulchre Apostolus recenset (I. Cor. 13, 4 sequ.), et in quarum meditatione nos frequentissime occupari oportet.

Fugiant omnes, quidquid redolet partium studium, invidiam atque aemulationem, fra-

trum detractionem vel sinistram opinionem. Nemo aegre ferat, illius caritatis christianaे servitii participem fieri, quod Christus Dominus adeo inculcat discipulis suis: corrigi nimirum a fratribus in spiritu caritatis et ad virtutem exercendam commoneri et adjuvari.

Meminerint tandem, piam hanc sodalitatem tantum abesse, ut caritatem restringat et funestum quendam nutriat particularismum, ut potius dilatet corda ad conformitatem Ssi Cordis Jesu, quod exinanivit semetipsum pro omnibus et omnibus omnia factum est. Sincero igitur sanctae dilectionis affectu et obsequio prosequantur universos in sacerdotio Jesu Christi confratres, sive sodalitati nomen dederint sive non, ut omnes dioeceseos sacerdotes perseverent coadunati in visceribus caritatis Christi.

Hinc non tantum non aegre ferent, si etiam non sodales conferentiis assistunt, sed imo, ut hoc fiat, curabunt. Unum, cui insistendum utique semper erit, id est, ut, quo sodalitas regi debet spiritu, eodem et conferentiae semper dirigantur.

V. Quas regulas sodales amore archetypi sui, magni scil. Sacerdotis Jesu Christi, fideliter, quantum tempus et circumstantiae patiuntur, observatores se esse promittunt, quin tamen sub peccato se obligent. Attamen, ut precum sodalium participes siant, id a regularum observatione dependet.

VI. Sodalitati nomen daturi id nuntient vicepraeſidi respectivae regionis; vicepraeſides vero data occasione nomina de novo susceptorum mittent praesidi, qui ea sodalium elencho inscribet.

Post anni decursum, qui sodalitati nomen dederant, praesidi vel vicepraeſidi declarabunt, utrum etiam in posterum in sodalitate permanere ejusque regulas observare velint, necne.

Attamen etiam posthac liberum cuique erit, sodalitatem relinquere.

Qui notorie per longius tempus regulas non observaverit, postquam fraternæ sed frustra de hoc admonitus est, e sodalium elencho delebitur.

6K M



A 1267



91013015385